

foelix et foecundum coniugium et salutarem gubernationem. Maxime autem optamus, vt pius consensus sit omnium Ecclesiarum vestrarum et Nostrarum, vt sint vere vnum in Deo, et prosit hic consensus multis gentibus. Quare gaudemus Regiam dig. v. genus doctrinae purum, simplex, et perspicuum confessionis nostrarum Ecclesiarum exhibitae Carolo Quinto Imp. in Conuentu Augustano Anni 1530 anteferre multis aliis disputationibus, quae his quadraginta annis motae sunt. Manifestum est enim nos sine sediciosis et sine monstrosis opinionibus recte et perspicue summam doctrinae Ecclesiae catholicae dei recitare, sicut in scriptis prophetiis et Apostolicis, et Symbolis tradita est, et taxare errores contumeliosos contra Deum, et perniciosos hominibus. Et quidem congruere nostram confessionem cum probatis scriptoribus Ecclesiae veteris vicinae Apostolorum temporibus non dubitamus. [Et tamen sicubi Explicatio desideratur, maxime optamus, vt colloqui viri eruditi et pii ex multis regnis quae veritatem quaerunt possent, vt rebus deliberatis una consentiens omnium Ecclesiarum confessio extaret, et propter alias gentes et propter posteritatem: qua in re nostri labores non defuturi essent vniuersae Ecclesiae saluti.] Precamur autem Filium Dei dominum nostrum Ihesum Christum sedentem ad dextram aeterni patris ac dona largientem hominibus, vt omnis veritatem expetentes doceat et Regiae dignitatis vestrae consilia gubernet. Ac si qua in re gratificari Regiae Dignitati vestrae poterimus, officia nostra sincera benevolentia ei deferimus. Bene et foeliciter valeat Regia Dignitas v. Datae Cal. Octobris 1559.

Regiae dignitatis vestrae Consanguineus et Amicus

Augustus Dux Saxoniae

Electore etc.

Auf der Rückseite: Ad Reginam Angliae.

Dresden.

Georg Müller.

4. Ein Brief Joh. Aurifaber's an Achilles Pirmin Gasser,

Weimar, 28. November 1559¹.

Gratiam et pacem in Christo. Clarissime domine doctor: patrone et amice longe charissime et colendissime. Mitto domino Moecenatj reliquas conciones, quas vir deus Lutherus in

1) Das Original befindet sich auf der Vatikanischen Bibliothek

24. caput Matthei habuit. sunt autem duae priores conciones, quæ in his chartis continentur, admodum insignes, ac nunc accingar ad describendas conciones super 23. caput, quod valde illustres conciones complectitur. quarum ingens usus his nostris temporibus esse posset. His addidi conciones quatuor in quartum caput Joannis. nam cum ex Dania eodem tempore Doctor Pommeranus reuertetetur, ulterius in Ioanne Lutherus non est progressus.

Mitto etiam quasdam contiones, quas diebus dominicis anno 1.5.3.8 Lutherus habuit. ac brevè eiusdem anni plures conciones mittam. diligenter enim pergam in descriptione istarum concionum. ita ut meo officio non sim defuturus.

Adiunxi his chartis etiam aliquot paginas colloquiorum Lutherj.

Anno 1.5.3.2 Lutherus Wittenbergæ pro concione interpretatus est sextum, septimum & octauum caput Joannis. Hæ conciones nondum prodierunt in lucem. et vtile esset, præsertim propter Sacramentarios, vt explicatio sexti capituli tipis committeretur. Si igitur aliquantulum oçij nactus fuero, accingar ad descriptionem istarum contionum. & habeo in promptu exemplaria. ex quibus descriptionem parare potero. videlicet Viti Theodorj, M. Georgij Rorarij et aliorum, qui summa diligentia et bona fide ex ore Lutherj eas contiones exceperunt.

Sarcerius discessit a comitibus Mansfeldensibus & urbis Magdeburgensis constitutus est superintendens. Cumque Wigando et ceteris ministris verbj cum eo non bene conveniat. suasit enim Sarcerius senatuj Magdeburgensj receptionem sacrificulorum. Quare Wigandus ac M. Judex cum omnibus cooperarijs Historiæ ecclesiasticæ ex Magdeburga urbe discedunt ac Jhenam se conferunt, ubi reliquam partem Historiæ Ecclesiasticæ contextent ac erunt Wigandus ac Judex eo in loco professores Theologiæ.

D. Hesshusius ex Palatinatu discessit ad Bremenses, ubi superintendentem aget: ibique egregiam operam nauabit contra D. Hardenbergium sacramentarium, qui in Bremensi ecclesia maximas turbas mouit.

Exoritur etiam dissidium inter Landgrauium et Archiepiscopum Coloniensem propter quasdam fodinas metallicas, ac colligit clam equites Landgrauius ac se ad bellum instruit. hocque bellum forsitan fons et origo nouj belli Germanicj inter papistas et protestantes esse posset.

His bene et foeliciter V. E. valeat, cuj me totum commendo

ac V. E. omnia mea studia et paratissima obsequia et officia defero. Datę Vinarię die 28. Nouembris. Anno 1.5.5.9. Domino Moecenatj meaue [?] studia commendabis.

V. E. deditis.

Joan. Aurifaber.

Clarissimo ac doctissimo uiro. pietate doctrina et prudentia excellentj prædito. Domino doctorj Achillj Periminio Gassaro Lindoensj. Urbis Augustę celeberrimo Medico, Domino et patrono suo colendissimo

Auguste.

Auf einem beigehefteten Blatte:

Paro alia, quę circa tempus nouj annj domino Moecenatj mittenda erunt. Jam aduentum Tabellarij excusabis apud dñm Moecenatem. quem ideo ablegauj, ut stipendium adferat. opus enim habeo pecunia. Nam hisce diebus prope Vinariam prædiolum emj, pro quo intra quatuor annos septingentj florenj mihi exponendi erunt, habet prædiolum illud amēnissimum hortum, agros et alia ad rem oeconomicam necessaria, unde aliquando ego grandaevus uel miseri mej infantes uitam mediocriter sustentare possent. Oro etiam ut aliam monetam quam cruciatos dominus Moecenas mittat; oderunt enim Thuringi eiusmodi monetam, nec apud nos est in ualore.

Leipzig.

Th. Brieger.

8.

Berichtigung.

Das von mir oben S. 333f. aus der Bamberger Handschrift abgedruckte Stück über die Hexen ist, wie mich Richard Dove belehrt, gleich Regino Liber de synodalibus causis II, 371 und hieraus übergegangen in Burchards Dekret X, 1, Ivos Dekret XI, 30, Panormia VIII, 75 und Gratian c. 12, C. XXVI, q. 5.

Göttingen.

L. Weiland.
